THESES

DE

LAUDEMIIS

Quas

SUB PRÆSIDIO

LUCÆ BEEKMANN

I. U. D. & Profeſſoris Ordinarij.

Pro gradu in utroq; jure, conſequendo ſummo,

defendent,

JOHANNES BAUMANNUS

Eſchenbachcenſis Palat.

&

MARTINUS JONIUS,

Magdeburgenſis.

Die [illegible] Mart. in auditorio majori [illegible].

WITTEBERGÆ,

Ex officina Typographica Johannis Gormanni.

ANNO M. DC. X

Google

1865

1866.

THESES
DE LAUDEMIIS

Subſequentes defendet

JOHANNES BAUMAN.

I.

OMNE *jus noſtrum, quo utimur, inquit Cajus JCtus, vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Unde liquet, non minorem curam rerum, quàm perſonarum juris autoribus eſſe: & recte, quippe quod omnia, dicente Tullio, quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum creata ſint.*

II.

Circa res autem jus noſtrum conſideratur, aut acquirendas, aut conſervandas, aut minuendas: aut enim hoc agitur, quemadmodum quid cujusq; fiat, aut quemadmodum quis rem vel jus ſuum conſervet, aut quomodo alienet vel amittat, teſte Ulpiano JCto.

III.

Et cum non omnium rerum eadem ſit qualitas, nec pari ratione acquirantur vel amittantur: & propriæ quidem rei ſuæ quilibet dicatur moderator, & arbiter, quatenus jure aut conventione non

1807.

prohibetur; alienas tamen res in quibus jus quidem aliquod nobis competit, non æque alienare licet.

IV.

Simile evenit in alienatione rerum Emphyteuticarum, ut nec liberè ſine conſenſu Domini alienari poſsint, nec econtrà acquirens ſine gratitudinis indicio & quodam quaſi præmio rem nanciſci poſsit.

V.

Ut autem alienantis officium eſt, ut quovis modo Dominium utile aut jus ſuum Emphyteuticarium in alium transferre volens Domini conſenſum impetret, ita econtrà acquirentis eſt Domini captare benevolentiam, & pro ſubſcriptione, quam uſitato vocabulo Inveſtituram appellamus, & ut recipiatur, ipſi honorarium præmium offerre:

VI.

Id quod vocabulo, juris quidem civilis autoribus incognito, ejus tamen Interpp. & juris Feudarij compilatoribus uſitato, Laudemium, Germanicè Lehnwahr *dicimus: quæ etiam ex præmij quantitate à Juſtin. definita, QUINQUAGESIMA, ſæpius appellatur.*

VII.

LAUDEMIUM ideo dictum, quod Dominus novum Emphyteutam, eoq; etiam contractum cum eo celebratum, laudet & approbet, eumq; inveſtiat & recipiat: Laudare enim, ut Agell. lib. 2. Noct. Attic.

ticar.

[illegible] cap. 5 & Feſt. Pompon. lib. 10. teſtantur, priſca lingua nominare ſignificat: at juris Feudariſ autoribus proprius eſt, re quæſita & agitata communi Conſilio conſtituere & definire: ijsdemq́; Laudamentum Sapientum dicitur, quod JCti re inter ſe diſceptata & deliberata conſtituerunt.

VIII.

Primitus quidem arbitrarium fuiſſe veriſimile & probabile eſt: undè & Cic. poſt reditum in Senatum & in Piſoniana ſua honoraria ARBITRARIA dicta conſtat. Quia verò ſucceſſu temporis nimia avaritia tenti, magnam molem pecuniarum efflagitarunt Domini, ut Juſtin: Imp. noſter in l. ult. (ubi ſedes hujus materiæ ordinaria eſt) C. de jure Emph. & poſt eum LEO Imp. ſimiliter conqueritur, demum ab eodem Juſtin. conſtitutum eſt, ut non amplius eis pro ſubſcriptione ſua & depoſitione, quam QUINQUAGESIMAM partem pretij vel æſtimationis loci, accipere liceat, in d. l. ult. C. de jure Emphyteut.

IX.

Quid ergo ſi æſtimatio rei vera major ſit pretio venditionis, quod forſan minoris res diſtracta ſit? Non ideo creſcunt laudemia in contractu venditionis, ut conſuluit Gravetta Conſ. 389. ſed quinquageſima parte pretij Domini contenti

 eſſe

1869.

eſſe coguntur: at in aliis dominij transferendi modis, ubi pretium certum non eſt, æſtimationis veræ quinquageſimam recipient. Eoq; ſenſu Juſtin. noſter QUINQUAGESIMAM diſtinctè, vel pretij-vel æſtimationis, conſtituit.

X.

Quamobrem nec commoditates alienationibus in gratiam alienantis adjectæ, ut in pacto de retrovendendo, quamvis alioquin pars pretij cenſeantur, Laudemium augent: nec ſi fundus unà cum fructibus, nondum ab eo ſeparatis, unico pretio vendatur, ob id, quamvis ſine fructibus minoris æſtimetur, minuitur, ut Amæd. de Ponte decidit q. 6. & 7.

XI.

*Etenim fructus pendentes, nec dum à ſolo ſeparati, pars fundi eſſe cenſentur: uti & quælibet res ſua natura quidem mobiles, attamen ſolo aut rei immobili cohærentes, ejus pars eſſe cenſentur. Eoq; ædibus cum mobilibus parietibus affixis (*Was darin Nied vnd Nagelfeſt iſt/*) unico pretio venditis, ex integro pretio, non tantùm ſola æſtimatione Laudemia debentur, decidente Nicol. Boer. Deciſ. 229. per totam. Et ſic de ſimilibus judicium.*

XII.

Quin imo etiamſi quis primò emerit mobilia affixa parietibus, & poſtea tegulas, ligna, & trabes Domus, ita quòd nihil niſi area reſtet, quam demum

1870.

mum alio pretio emit, nihilominus pretium mobili-um, in quantitatem laudemij computari debet. Boer. Deciſ. 230.

XIII.

An etiam pro augmento rei Emphyteuticariæ, puta, quod areæ ædificium impoſitum ſit, aut fundo per alluvionẽ accreverit, Laudemia debeantur? anxiè diſceptatur. Et quia acceſſorium eſt principalis, laudemia ex integro pretio, etiam computato augmento, deberi verius eſt, & diſputat Amæd de Ponte quæſt. Laudem. 8. per totam poſt Jaſon. ad l. fin. no. 44. C. de Jure Emphyteut.

XIV.

Econtra ſi plura bona, quorum aliqua ſint propria, vel allodialia, aliqua verò Emphyteuticaria, uno pretio vendantur, quatenus ſeparari poſſunt, pro rata pretij bonorum Emphyteuticorum tantum laudemia debentur, ut eſt Laudamentum ſapientum apud Fr. Marcum deciſ. 608.

XV.

Atq; adeo QUINQUAGESIMAM Juſtin. Imp. definijt, ut etiamſi Domini majus præmium exigat, attamen Emphyteutæ, etiam alio non edocto, ſuam intentionem comprobatam habeant, donec Domini majora Laudemia vel conventione contrahentium conſtitutæ, vel conſuetudine introducta doceant, & tamdiu exceptione majoris petitionis repelli poſ-ſint,

1671.

ſint, ut poſt Alexand. ponit Ant. Sola ad Conſt. Saband. antiquas tit. de jure Emphyteutico, docent in caſibus, part. 1. glos. 1, no. 1. & 2.

XVI.

Equidem Laudemia vel partium Conventione, vel lege municipali, vel conſuetudine augeri poſſe, quamvis Raph: Fulgos. ſordem avaritiæ reſpicere cenſuerit, omni tamen dubio carere putamus: Unde ut de exteris gentibus, quarum conſuetudines noſſe quidem ornatus eſt, at parum nobis prodeſt, nihil dicamus, conſtitutiones Ducum Saxoniæ per Thuringiam 16. ſub tit. von Lehnwahr, *vigeſima pars pretij vel æſtimationis definita eſt, Coler. Deciſ. German. 33. n. 3. Quod tamen de Electoratu Saxoniæ cum eodem non auſim affirmare cum conſtit.* von Lehnwahr. *Juſtin. QUINQUAGESIMAM non mutet, nec corrigat.*

XVII.

Sanè circa Laudemiorum præſtationes, ubi nihil conventionibus partim definitum eſt imprimis conſiderandas eſſe ſingulorum locorum ſtatuta, aut etiam conſuetudines ſingulariter monet Hart. Piſtor. & rationi convenit, & omnes unanimiter tradunt: demum ijs deficientibus Jus-Commune ſequimur. Noſtri verò non eſt inſtituti ſingulorum ſtatuta & conſuetudines proſequi, & infiniti eſſet Laboris, ſed ſelectiores quæſtiones ex jure communi, &

ni & Interpp. traditis proponere, ut tamen quid hiſce in provincijs receptum ſit, quantum fieri poteſt, immiſceamus & inſimul defendamus.

XVIII.

Etenim cum Electorali Conſtitutione, quæ eſt de Laudemijs, ea certis tantùm caſibus in his provincijs ab Emphyteutis exigi poſſint; ſtatuendũ eſt, in caſibus omiſſis, niſi alicubi vel contraria ſtatuta vel conſuetudo inveterata aliud induxerit laudemia non deberi.

XIX.

Imprimis autem ſciendum, laudemia ex ſola alienatione rei Emphyteuticæ, non etiam aliarum ſimilium, nec ex alienatione rerum Feudalium, docentibus Lud. Schradero de Feud. Part. 2. cap. 3. no. 24. & ſeqq. & Roſenthal. de Feud. cap. 6. concl 66. per totam, etiam in his provincijs, probante Conſt. Elect von Lehnwahr / *deberi.*

XX.

Et quidem deberi dominis directis ſeu proprietarijs: At quid ſi ejusdem rei plures ſint, alter proprietarius, alter uſufructuarius? Quamvis verũ ſit ipſam rem Emphyteuticariam, ſi in commiſſum cadat ipſi proprietati accreſcere, eoq; ad proprietarium pertinere, attamen Laudemia cum ſint obventionis & fructus rerum, uſufructuario perſolvenda ſunt, ut eleganter Guido Papa, Deciſ. 477. decidit.

 Ideoq;

1673.

XXI.

Ideoq; & patri in bonis adventitijs liberorum adhuc in ſacris conſtitutorum, nec dum emancipatorum; & marito in bonis dotalibus, & viduis dotalitijs, & omnibus omninò uſufructuarijs (non etiam conductoribus, etiam ad longum tempus) laudemia non immeritò relinquimus.

XXII.

At quid ſi ex pluribus dominis proprietarijs alteruter rem Emphyteuticariam, ab Emphyteuta emerit, utrum condomino laudemium ſolvere teneatur? Affirmativam multis rationibus propugnat Amæd. de Ponte, quæſt. Laudem. 23.

XXIII.

Quin amplius quærit Amæd. de Ponte, ſi Emphyteuta rem Emphyteuticariam alij rurſus in Emphyteuſin concedat, isq; ſecundus vel ſub-Emphyteuta alienaverit jus ſuum Emphyteuticarium, cui ſit ſolvendum laudemium? Dominonè proprietario mediato, an verò primo Emphyteutæ, eiq; Domino ſuo immediato? Quod poſterius rationi juris magis convenit, & plurium Dd calculo approbatur, ut ait Marianus Freccia.

XXIV.

Hactenus

Hactenus cui Laudemia ſolvenda: at à quo ſolvi debeant, utrum a venditore ex pretio, an verò ab Emptore ultra pretium conventum? Non uſque adeò expeditum eſt, Doctoribus vacillantibus: Inconſtantiæ cauſam præbuit, quod alij pro conſenſu Domini in alienationem & contractum celebrandum impetrato laudemia deberi contendunt· quo conceſſo certè venditorem Laudemium deberi nemo negabit, cum is conſenſum domini requirere teneatur. Alij pro ſubſcriptione contractus jam celebrati, & receptione novi Emphyteutæ deberi, exiſtimant. Quorum ſententia & menti & verbis Juſt. Imp: in d. l. ult. verſic. & ne avaritia &c. C. de jure Emphyteut: magis convenit: Ac proinde emptorem ultra pretij quantitatem, & ſimiliter quemvis etiam alio quovis alienandi titulo novum poſſeſſorem Laudemium debere verius eſt. Quæ ſententia non tantùm communiter recepta, & multorum autoritatibus firmata apud Burſat. conſ. 56 n. 16. ſed etiam in his provincijs expreſſa Elect. Conſtit. 4 comprobata eſt.

XXV.

Quamobrem, ſi Dominus ipſe rem Emphyteuticariam emerit, cum nemo ſibi ipſi debere

1575.

poſſit, Laudemium extingui & evaneſcere, expeditum eſt, nec dubitandi cauſam habet.

XXVI.

Novum Emphyteutam enim intelligimus, ad hoc ut Laudemium debeatur, in quem prior Emphyteuta jus ſuum Emphyteuticarium alienaverit vel tranſtulerit, ut inquit Juſtin. Imp. Quamobrem æquè nec primus Emphyteuta pro prima conceſſione Emphyteuſeos ſibi facta, nec quilibet Emphyteuta pro rei Emphyteuticæ proprietate à domino, redempta laudemium ſolvere cogitur.

Martinus Ionius.

XXVII.

Cæterum cum in alienationibus juris Emphyteutici laudemia deberi conſtet: etiam quotiescunq; illæ, etiamſi pluries uno anno fiant, ut rectè dixerit Angelus ad multitudinem traditionum, ſequi multitudinem laudemiorum in l. ab emptione ff. de Pact. Alienatio autem Senecæ lib. 5. de Benef. ſit rei ſuæ juris q; ſui in alium translatio, & magis perſpicuè Severo & Antonino Impp., omnis actus, per quem dominium transfertur, dicatur, quin & amplius non tantùm venditiones & donationes, hæredis inſtitutio & legata, ſed & pignorationes, ſervitu-

tutum, ceſſiones & uſucapiones & ſimiles alienationis vocabulo, contineantur, de ſingulis videamus.

XXVIII.

Sanè ex venditionibus, etiam cum conſenſu Domini factis, Laudemia deberi extra controverſiam eſt: An etiam quando Emphyteuta hoc pacto inveſtitus eſt, ut ſibi jus ſuum, etiam non requiſito domini conſenſu, alienare liceat? Affirmat Jaſon & hanc ſententiam contradictorem non inveniſſe ait eruditiſſimus Hart. Piſtor.

XXIX.

Quin etiam ſi à prima venditione recedatur, etiam ex hoc diſtractu laudemium debetur: dummodo res non amplius ſit integra & ex voluntaria cauſa deſcendat. Etenim ſi ex cauſa neceſſaria, vel etiam in ipſo contractus limine appoſita reſolvatur, ex ſecunda alienatione, eoq; duplex laudemium, non deberi & juris rationi & æquitati convenit.

XXX.

Rem non amplius integram putamus quamprimum cum Domini conſenſu de pretio convenerit, & Dominus præterea de receptione novi Emphyteutæ requiſitus fuerit, licet res nondum ſit tradita aut inveſtitura facto contrahentiũ non ſubſecuta dummodo in continenti, & antequam ad alios actus di-

 verte-

1677.

verterunt non diſſolverint contractum, ut poſt Maſver. & Bertrandum tradidit Daniel Moller. ad Conſt. Elect. 32. n 6. par. 2.

XXXI.

Neceſſariam verò alienandi cauſam intelligemus, quæ non ex voluntate alienantis, ſed aliunde vel juris diſpoſitione, vel ex conventione in limine cujuſcunq; alienationis interpoſita cauſatur. Ac proinde ſi Emphyteuta jus ſuum Emphyteuticum filiæ ſuæ in dotem dederit, nec filia, nec gener domino laudemium ſolvere tenetur, adeò ut nec quicquam referat utrum alia bona habeat, nec ne, unde dotem dare poſſet, quemadmodum hanc Dd. diſtinctionem rectè repudiavit Elect. Conſtit. rejecta etiam diſtinctione: Utrum dos detur æſtimata vel inæſtimata, ut rectè docuit Jaſon ad l.. ult. n. 49. C. de Jure Emphyteut.

XXXII.

Unde conjicimus, ſi quem neceſſitas dotandi non premat, Laudemium ſolvendum eſſe. Sed utrum hoc caſu uxori, an verò marito Laudemij ſolvendi onus incumbat, dubitari poſſet: Maritum ſolvere Laudemium debere, defendi poteſt, ad exemplum retrovenditoris ex pacto de retrovẽdendo: ita tamen ut dote vel ſoluto Matrimonio vel aliam ob cauſam neceſſariam reſtituta, uxor Lau-

demi-

demium refundat, nec dominus inſuper aliud exigere poſſit. 1879.

XXXIII.

Similiter ex diviſione Laudemium non deberi communis eſt Interpretum opinio. Quam indiſtinctè utrũ quis ad diviſionem provocet, aut verò provocetur, veram putamus. Et probat Conſtit. Electoralis: dummodo verè dividatur, non etiam res communis alterutri refuſo pretio aſſignetur. Hoc enim caſu laudemium pro rata aſſignatæ portionis exolvere æquum eſt.

XXXIV.

Æquè nec ſi neceſſitas alienandi ex conventione contrahentium in limine contractus præcedentis appoſita cauſetur, ac proinde (nec ex retrovenditione ex pacto de retrovendendo) qualiter ruſticorum noſtrorum bona dum legitimam ætatem, nondum adimpleverunt, ut plurimum vel vitricis, vel cognatis venduntur: multò minus ſi tempus retrovenditionis prorogetur, ne ex retractu, (quamvis primò emptori, qui ex primo contractu laudemium ſolvit, id refundere, ſi verò & omninò nondum exſolutum ſit, ratione primæ alienationis præſtare teneatur,) nec ſi contractus ipſo jure reſolvatur, debetur.

35. Sin

1660.

XXXVI.

Sin verò neceſſitas voluntariam habet cauſam, ut in donatione teſte Ant. Fabro, etiam renumeratoria, ut ait Pyrrhus Anglebrem: ſi tamen donatio reſervato uſufructu fiat ante finitum uſufructum, Donatarius Laudemium ſolvere non tenetur, ut Ant. Sola ad conſtitut. Sabaud. antiq. mihi folio 87. n.o. 15. poſt Roland. à Valle ſtatuit.

XXXVII.

Quin & permutatione, ut Scabini Lipſ. olim pronunciarunt & notavit Modeſt. Piſtor. par. 2. quæſt. 67. per totam; (Licèt ſecundùm conſtit: Provincialem non niſi ex pretio quod interdum transactionibus adjicitur debeatur) Laudemium, ſolvendum eſt.

XXXVIII.

Eadem ratione ſi res Emphyteuticaria ob aliquod debitum creditori, ac etiam, ſi fide de pretio habita, nec ſoluto, priori venditori vel ſponte, in ſolutum detur, vel etiam juſſu judicis, aut ſub haſta proclamata ipſi etiam creditori, multo magis ſi extraneo, adjudicetur, Laudemium debetur: ut in ſenatu Pedemontano, uti & Neapolitano deciſum eſſe teſtantur, Vincen. de Francis part. 2. deciſ. 277. & Anton. Teſſaurus deciſ 139.

XXXIX.

Quid ſi debitor ante Lapſum anni permiſſu con-

ſtitutionis

ſtitutionis harum provinciarũ (des Torgauiſchen auſſchreibens) *rem creditori adjudicatam reluat? Laudemium ex hoc retractu non deberi verum eſt? At quid ſi alium Emtorem qui plus licitetur & majori pretio rem à creditore redimat? Hunc certè quod magis ex voluntaria cauſa, quam neceſſaria accedat, Laudemium debere atq; adeò Dominum, hoc Caſu duplex Laudemium recipere poſſe, non deſtituitur rationibus.*

XL.

Quo loco eleganter quæritur, alius, puta proprietarius, tempore ſubhaſtationis & adjudicationis, alius verò, puta uſufructuarius tempore anni Elabentis, quo debitor ipſe rem redimit, Dominus fuerit, utri proprietarione, an uſufructuario laudemiũ debeatur? Et proprietario deberi multis argumentis propugnat Ant. Faber ad tit. C. de Jure Emphyteut. definit. 30. Quod idem contingit etiam in contractu retrovenditionis, ut tempus contractus, non verò retrovenditionis inſpiciamus.

XLI

Cæterum quod ex hiſce contractibus, quibus jus Emphyteuticum transfertur, Laudemia deberi cõtendimus, hactenus verum eſt, in Contractibus puris & perfectis & validis. Alioquin ſi promiſſio tantum de vendendo facta fuerit vel ſub cõditione, aut nulliter contractum ſit, interim pendente conditio-

1582.

ne & ex contractu nullo & invalido omninò non debentur laudemia, ut communis & vera eſt Dd. opinio. Cui omninò conſequens eſt, ut nec ex contractu cum furioſo, pupillo, prodigo, absq; tutorũ & curatorum autoritate, vel cum minore etiam, cum curatoris conſenſu attamẽ ſine cauſæ cognitione & decreto Judicis celebrato & alienatione ſubſecuta laudemium debeatur.

XLII.

Quin etſi per ſententiam judicis, puta per inintegrum reſtitutionem aut re empta rurſus evicta alienatio reſcindatur, Laudemium etiam ratione contractus prioris non debeatur. At quid ſi per beneficium L. 2. C. de Reſcin. vendit: ob leſionem nempe ultra dimidium contractus & alienatio reſcindatur? Certè Laudemium non minus deberi, ſi emtor diſtractum & reſtitutionem rei eligat contra Molinæum verum putârim.

XLIII.

Et cum ex translatione Juris Emphyteutici & ob receptionem novi Emphyteutæ, laudemia dentur, dominium autem in liberos non transferatur, ſed continuetur, & ipſo jure tranſeat, Laudemia in ſucceſſione deſcendentium non deberi communis omnium Interpp. eſt ſententia, etiam conſtit. Elect. approbata.

44. Quid

XLIV.

Quid itaq; ſi pater liberis rem Emphyteuticam vendat, donet, cum alia repermutet aut alio modo dominium transferat? non minus ex hujusmodi alienationibus quàm ſi intra extraneos fierent, laudemia deberi ijsdem argumentis, quibus ſenatus Pedemontanus quondam in ſimili caſu uſus eſt, & Joh. Petr. Surdus deciſ. 96. induxit, dicendum eſt.

XLV.

At ſi res Emphyteuticaria per ſucceſſionem non ad deſcẽdentes, ſed ad aſcendentes vel ad collaterales devolvatur: quid ſtatuendum? Certè quia Dominium non ipſo jure, ſed facto hominis pervolvitur, etiam Laudemia deberi; & eadem Elect. conſt. decidit & defendemus. Ubi non ineleganter quaeritur, ſi agnatus, cui Emphyteuſis jure ſucceſſionis obvenit, antequam inveſtiatur, deceſſerit, ut ſubſequens agnatus jam admittatur, utrum duplex Laudemium ſit ſolvendum? Unicum tantùm Laudemium deberi conſulendo defendit Matth. VVeſenb. cons. 16. per totum.

XLVI.

Et multo magis ſi jus Emphyteuticarium vel per modum inſtitutionis, vel legati in alium transferatur, ſecundum Bertrand: Conſ. 78. quem ſecutus eſt Rodoanus de alienat. rer: Eccleſiaſt. tit. de Laudem. § iſta autem &c. no. 13.

C 2   47. Cum

v584.

XLVII.

Cum liceat emere pro ſe ac pro eo, quem emptor infra aliquod tempus declaraverit, an ex tali declaratione debeatur Laudemium? Non arbitramur cum Reinald. Junior conſ. 163. At econtrà, ſi emptor perfecta emptione alium ſibi aſſociaverit, cujus in contractu nullam mentionem fecerit, nec pro eo quicquam emerit, utrum is aſſociatus laudemij novi ſit debitor? Omnino, & conſulit Natta conſ. 288. n. 1.

XLVIII.

Similiter quia laudemia ex translatione Juris Emphyteutici debentur, ei conſequens eſt, ut ex mutatione domini ſive id per ſucceſſionem ſive per contractum contingat, & non debeantur.

XLIX.

Quid ſi non jus ipſum Emphyteut: alienetur, ſed ſaltem cenſus annuus ex re Emphyteuticaria quotannis præſtandus vendatur? Æquè laudemia debẽtur: Non etiã ſi pignori ſupponatur creditori.

L.

Cæterùm Laudemijs ſolvendis, nulla præſtituta ſunt tempora, quamvis hoc poſt alios velit Aurel. Corduba de jure Emphyt. c. 5. n. 1. nec ob non ſolutum Laudemium res Emphyteuticaria committitur aut emptor ea privatur, quæ favorabilior eſt

ſenten-

ſententia, & eam contra Cordubam defendit Job. Petr. Surdus deciſ. Mantuan. 200. ſed Domino ſaltem competit actio pro Laudemio conſequendo.

LI.

Qualis verò actio pro conſequendo Laudem. competat, utrum etiam Hypothecaria, an verò ſola perſonalis, Serram reciprocant Interpp. & cottidiana eſt quæſtio? Non deſunt, qui Hypothecariam competere, quod res Emphyteuticaria pro Laudemio tacitè ſit obligata, contendunt, Amæd. de Ponte quæſt: Laudem. 45. per totam & alij: Sed veriorem & jure magis conſentaneã putamus ſententiam: tacitam hypothecam pro Laudem: non competere, eoq; nec hypothecaria, ſed tantùm actione perſonalia agi poſſe, ut poſt Marin: Frecciam lib. 2. de autorit. Baronat: autorit. 3. no. 4. Eleganter diſputat Job. Petr. Surdus deciſ. Mantuana 31. per totam.

1886.

Corollaria,

Quæ Candidati promiſcuè defendent.

I.

Legitimæ in computatione an Filij, qui alioquin non admittuntur ad legitimam, puta deportati, ſtatuto excluſi: exheredati &c. partem nihilominus faciant? ut mirificè à Dd. agitata eſt quæſt. ita ad lapſum lubrica eſt, nec minus utilis; Nos horum rationem in legitimæ computatione nullam haberi cum Chifletio defendemus.

II.

Bonæ fidei poſſeſſor poſtea rem alienam eſſe comperit, an ex eo quoad fructus percipiendos & poſtmodum reſtituendos in mala fide conſtituatur? non minus & difficilis & utilis eſt quæſtio, & ex diſſenſione (ut multi, quamvis falsò, putant) Ulpiani & Juliani JCtorum anceps? Nos hunc malæ fidei poſſeſſorem ex ſola ſcientia effici, cum Ulp. ſtatuimus.

III.

Quos autem fructus ſuos faciat vel lucretur bonæ fidei poſſeſſor, quosq; Domino

mino rem ſuam evincenti reſtituat, illuſtris eſt quæſtio, ac tam in foro, quàm in ſcholis ſæpius agitata, ut omnes ferè Interpp. tam pragmatici quàm Theorici perpetua diſcordia divellantur. Sed in ancipiti hac pugna Donelli ſententiam amplectimur, omnes omninò fructus, naturales quidem conſumptos tantùm, induſtriales verò omnes & conſumptos, & extantes bonæ fidei poſſeſſioris lucro adjicientes.

I V.

Sic nobilis & intricata ſatis eſt quæſtio: An fidejuſſor in majorem ſummam acceptus, quàm in principali eſt, obligatione ſaltem quoad concurrentem ſummam obligetur, an verò prorſus non ſit obligatus? Priorem ſententiam defendemus.

V.

Quam excipit anceps illa, nec minus nobilis & intricata controverſia, An mora rei principalis fidejuſſori quoq; noceat, ut in uſuras & acceſſiones conveniri poſſit? Quæ non ſolum à veteribus, ſed & recentioribus acerrimè diſputata eſt. Et placet, fidejuſſori

mo-

1888.

moram principalis ad uſurarum præſtationem non nocere. *VI.*

Filius heres ſuus fideicommiſſo legatíſve oneratus, an præter debitum bonorũ ſubſidium, aliam quoq; portionem deducere poſſit? Rem tricis involvere Pontificum Decreteta, errore nata, jure civili & rectæ rationi minimè congrua, licet uſus & communis Dd. ſententia, teſte Gaylio, ea approbet. *VII.*

Ob dotem promiſſam & non præſtitam uxorem expelli poſſe hactenus autoritate juris Pontifici ſtatuerunt Interpp: ſed contra omnem humanitatis & æquitatis rationem. *VIII.*

Vſura ultra ſortis ſummam non excurrere, notiſſimi juris eſt: An etiam ſi per partes ſolvantur, proficiant ad dupli computationem? Anton. Imper. imputari noluit; At Juſtin. poſtmodum imputandas conſtituit. Verùm Antonini ſententia, ut æquior & ad commercia promovenda conveniẽtior hodie rurſus invaluit, & eam conſulendo defendit Joh. Petr. Surdus.

FINIS.

V 1522 115